

ita ad suum motum: sed dum res est in sua quiete, nihil acquirit de nouo, ergo quando est in motu, nihil etiam acquirit de nouo, & per consequens motus non est res distincta à mobili. Confirmatur: Deus potest rem aliquam creare, & postea mouere eam absque alia re de nouo producta.

Resp.

Respondeo negando paritatem; res enim, vt patet, dum quiescit, nihil de nouo facit, nec se habet aliter nunc, ac prius; at dum res mouetur, se habet nunc aliter, quàm prius, ergo non mirum, si in motu habeat aliquid, quod non habet, dum quiescit. Ad confirmationem dico Deum non posse mouere aliquid sine motu de nouo adueniente; id enim tam benè implicat, atque facere parietem album sine albedine.

Decima.

Decima: Tunc est motus v. g. localis, quando mobile est successiuè in alio loco: sed hoc fieri potest absque fluxu superueniente, quid enim acquirit res, quando ab vno loco transfertur ad alium? certè nihil: ergo motus non est quid distinctum à mobili.

Resp.

Respondeo negando minorem, noua enim denominatio realis non habetur nisi per formam nouam aduenientem.

Undecima.

Undecima: Tunc dicitur subiectum alterari, quando habet vnam partem formæ, quam antea non habebat: sed habere potest vnam partem formæ absque alia entitate distincta à forma, aut parte formæ; illa tamen habitio est quedam alteratio, ergo motus alterationis non erit entitas distincta à forma.

Resp.

Respondeo habitationem esse aliam in actu quieto, & aliam in esse successiuo: illa est in subiecto absque entitate distincta à forma, ista verò non.

Duodecima.

Duodecima: Nulla res, dum fit, est: sed si motus esset quid distinctum à termino, dum fieret, esset, quod repugnat; dum enim res fit, non est, quia fieri non est necesse: Nec dicas hoc esse fallum in successiuo; omne enim, quod fit de nouo in tempore, procedit de non esse ad esse, at dum procedit de non esse ad esse, non est.

Resp.

Respondeo datam responsonem esse bonam, nimirum quòd in successiuo fieri, & esse sint idem; quia esse dicit quietem, & fieri motum: cum ergo successiuo non dicant quietem, eorum fieri erit eorum esse: dum verò dicitur: Quod fit, procedit de non esse ad esse, hoc concedo in aliquo sensu; pro quo nota duplex esse fieri, vnum in actu primo, & alterum in actu secundo, scilicet ipsummet actuale fieri, motus, dum fit, transit à non esse, seu à fieri in potentia ad fieri in actu, quod fieri in actu est esse ipsiusmet motus, dicitur tamen fieri, eò quòd motus ex natura sua tendit ad rem aliquam in esse quieto, & dum dicitur fieri, & non esse, sunt idem, fieri in potentia concedo, fieri in actu nego.

Num. 11.

Rationes afferentes distinctiugus motus à mobili, & terminus ponuntur, & soluantur. Prima.

Resolutio secunda: Proponuntur rationes pro opinione communi de distinctione motus à termino, & mobili, earumque infirmitas detegitur.

Prima sit: Tunc aliqua sunt diuersa, quando vnum habet aliquid, quod non habet alterum: sed motus habet aliquid, quod non habet eius terminus, ergo motus distinguitur à suo termino ante opus intellectus; maior patet, mi-

nor probatur: motus habet, quòd sit successiuus etiam ante opus intellectus, habet quoque quòd sit via, & tendentia ad terminum, terminus verò est terminus, & habet, quòd sit permanens.

Resp.

Respondeo pro Nominalibus concedendo maiorem de eo, quod habet aliquid entitatiuè, quod aliud non habet: at de eo, quod habet aliquid tantum connotatiuè, nego maiorem; Ad minorem dico terminum non habere aliam entitatem, dum est sub motu, dumque est in termino, nisi connotatiuè, quod sic explicant Nominales: dum dicitur v. g. calefactio est res successiuo, dicunt hoc debere intelligi, quando hoc nomen calefactio, significat aliquam rem non absolute, sed connotando vnam eius partem post aliam acquiri continuè: at quia hic terminus calor, non habet talem connotationem, ideò calefactio dicitur ens successiuum, calor verò quid permanens, & tamen calor supponit pro eadem re, vnde calefactio, & calor sunt idem omnino realiter, licet differant secundum definitiones exprimentes quid nominis, non verò quid rei, hoc est, licet differant secundum nomen, non tamen secundum rem.

Secunda.

Secunda: Ea, quorum vnum corrumpitur permanente altero, distinguuntur inter se ante opus intellectus; sed deperditio motu v. g. calefactione remanet calor, ergo ante opus intellectus calefactio, & calor distinguuntur inter se.

Resp.

Respondeo concedendo maiorem de ijs, quorum vnum entitatiuè corrumpitur, de ijs verò quorum vnum tantum connotatiuè corrumpitur, nego. Ad maiorem dico deperditio motu remanere calorem, qui entitatiuè est idem cum calefactione, vnde sic exponunt Nominales hanc propositionem: motus corrumpitur remanente termino, id est illa propositio desinit esse vera; motus calefactionis est: non desinit tamen hæc esse vera calor est; nam in calefactione aquæ, licet calor quatenus partibiliter acquiritur, sit illa calefactio; tamen calor manebit, quando ipsa calefactio non manebit, calefactio ergo transit, & tamen res, quæ erat calefactio, non desinit esse: & vno verbo calefactio non est aliud, quàm ipse calor, in quantum partibiliter acquiritur, calor autem in termino est ipsemet calor in factio esse, seu calor acquisitus; vnde videt, quòd sicut res, in quantum partibiliter acquiritur, non sit alia res à seipsa, in quantum est acquisita, ita non erit alia res, aut alia entitas calefactio, & calor productus.

Tertia.

Tertia: Sequeretur v. g. actionem generatiuam Lazari, & resuscitatiuam eiusdem Lazari à Christo Domino prestitam, esse eandem actionem, quod falsum est; nam ibi est idem terminus, scilicet ipse Lazarus; si enim actio, seu motus non distinguatur vllà entitate, cum terminus sit idem generationis Lazari, & eius resuscitationis, foret quoque eadem actio, idemque motus, quod nemo dicit.

Resp.

Respondeo posse dici fuisse eandem rem entitatiuè, non tamen connotatiuè: aut fuisse eandem rem ex parte termini, non tamen ex parte agentis.

Quarta.

Quarta: Motus, quo producit calor, est generatio caloris; at generatio caloris, & calor non sunt idem; nam si essent idem sicut ad calorem